

267cc  
erat.

DISPUTATIONEM PHILOSOPHICAM  
DE

EO, QVOD PVLCHRVM EST  
IN ELOQVENTIA EIVSQVE  
POTISSIMVM RATIONIBVS

TRADITVRVS

SPECIMEN RHETORICAE  
RATIONALIS  
IN ALMA SALANA

ANNVENTE SVPREMO NVMINE  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

GVILIELMO HENRICO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM  
ANGARIAE WESTPHALIAE ET RELIQVA  
CONSENSV AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHICI  
PRO

LOCO IN EODEM CONSEQVENDO

PRAESES

IOANNES PETRVS REVSCH

RECTOR SCHOL. IEN.

RESPONDENTE

GVILIELMO LEVINO SEVERO

DASSOVIO - MECKLENBVRG. S. LITT. CVLT.

PVBlico ERVDITORVM EXAMINI  
IN AVDITORIO PHILOSOPHICO

D. VIII. IANVAR. ANNO CIO MDCC XXIV.  
EXPONIT.

IENAE,  
LITTERIS MVLLERIANIS.

Lit. Lat.  
rec. B.  
61, 4.

I 41.

2

3

VIRO  
PRAECELLENTISSIMO, AMPLISSIMO ET CON-  
SVLTISSIMO

DOMINO  
DNO. GEORGIO HENRICO  
DE GERCKEN,

INCLYTAE REIPUBLICAE LVBECENSIS

SECRETARIO

LONGE MERITISSIMO

*PATRONO, AC STUDIORVM SVORVM  
PROMOTORI*

OMNI PIETATIS ET OBSEQVII CVLTV AETERNVM DEVE  
NERANDO

DISSERTATIONEM HANCCE

IN GRATI ANIMI TESSERAM, VLTERIOREMQUE STUDIORVM SVORVM  
COMMENDATIONEM, ARDENTISSIMA INTER OMNIGENAE  
PROSPERITATIS VOTA, SACRAM ESSE IVBET

GVILIELMVS LEVINVS SEVERVS



Q. D. B. V.

§. I.



PULCHRITVDINIS ratio tam late patet, ut non tantum in generis humani animantiumque ornamenta, sed in totum quoque disciplinarum complexum diffundatur. theologis innumera suppetunt, quae laudent atque admirentur: iureconsulti suis se deliciis oblectare possunt: medicis campus patet amplissimus miranda naturæ cognoscendi praedicandique. quod si vero ad philosophorum ordinem, et dogmata accedo: videre mihi videor eam pulchritudinis speciem, quae vel ineptissimos venustatis spectatores in stuporem rapiat. HANC *disciplinarum venustatem* tradit generatim atque explanat CROVSZIVS. \* et ante eum PLATO \*\* videtur agnouisse. peculiari quoque scriptione venerandus IOANNES FRANCISCVS BVDDEVS \*\*\* illam pulchritudinis rationem in doctrina sanctiori declaravit,

A

§. II.

---

\* In tractatu de pulchro (*traité du beau*) cap. VIII.

\*\* In phaedro tom. III. opp. II. ed. ferr. \*\*\* *Commentatione theologia de eo, quod in theologia pulchrum est, anno*

§. II. illi anam mihi praebuerunt *de eo, quod pulchrum est in eloquentia eiusque potissimum rationibus* cogitandi. argumentum hoc tractatione complexus est IOANNES GVILIELMVS BERGERVS \* qui alios quoque scriptores producit huc pertinentes \*\*. CROVSZIVS etiam id agit, vt praecipuis artis oratoriae argumentis propositis eorum pulchritudinem ostendat strictimque persequatur. \*\*\* qui cum rationes causasque pulchri in eloquentia nimis generatim tradant et aliqua vel tangant modo vel plane omittant, quae tamen pressius excutienda videbantur: operae pretium esse duximus, aliquot his rebus enucleandis dissertationes destinare vt *specimen exhiberemus rhetoricae rationalis seu rationibus instructae philosophicis.* in prima, quae nunc publicam lucem adspicit, in eo imprimis elaborabimus, vt positis rhetorici pulchri fundamentis aditus ad reliqua facilius aperiatur. quo fine agemus primo loco de notione pulchri, quae declarationem postulat principiaque in reliquum profutura suppeditat. tum illud, quod in cogitationibus horumque signis vocalibus tam ratione significandi virtutis, quam ratione soni pulchrum existat eiusque rationes breuiter declarabimus. tractatio prolixior, principiorumque applicatio ad exemplorum copiam & specialia rhetorices capita, reliquarum erit dissertationem materia.

§. III. ea autem se nobis in his tractandis probavit *methodus*

1715. recitationibus solemnibus et disputationi inaugurali IOANNIS FRIDERICI liberi baronis de WERTHERN praemissa.

\* Libro commentario de naturali pulchritudine orationis ad excelsam longini disciplinam illustri continentique CAII IVLII CAESARIS exemplo exacta. edit. Lips. 1720. 4t.

\*\* l. c. p. 2. ff.

\*\*\* l. c. toto cap X.

*thodus*, quæ iudicio potius, quam memoriae inseruiebat. quapropter non ex comunibus rerum notionibus capita distinximus: sed eo quodque loco posuimus, quo poterat clare distincteque antecessentium ope, intellectu comprehendi. quod ut numen supremum in sui gloriam aliorumque usum vertat quam benignissime, est quod precibus contendimus ardentissimis.

§. IV. sic igitur illud, quod in eloquentia pulchrum est causasque potissimum eius indagaturis a definitione pulchri primo ac principe dicendorum fundamento erit ordiendum. quanta vero hic praecipitia occurrant: iudiciorum in hac re diuersitas euincit. qua perspecta aliqui eo sunt prolapsi dubitationis, ut nullam in re ipsa pulchritudinis rationem, in fluctuantibus hominum opinionibus statuerent omnem. cum enim id, quod deforme vni alteri pulchrum videri animaduertent: nullam pulchri rationem esse veram et constantem existimarunt.

§. V. in eo quidem omnes consentiunt, quod *pulchrum placeat*, quod *laudetur*, quod *ametur*: \* haec tamen notae sunt nimis generales et ab essentia constituenda alienae remotaeque nimis. unde nec eam menti notionem ingenerant, cuius ope cum certitudine quidquam de hac re pronunciarique queat. huius commatis sunt ea, quae a PLATONE, hanc in rem, HIPPIA, sophista tumido atque SOCRATE ad retundendam hanc vanae mentis superbiæ aptissimo, collocutoribus \*\* disputantur. ridiculum ille sophista se praebebat *definitionibus pulchri*

A 2

absur-

\* Sic VINCENTIVS PLACIVS accuratarum alias definitionum studiosissimus in accessionibus ethice physiol. cap. 5. §. 19. def. 6. pulchritudinem hominis definit, quod sit forma figurae et situs partiumque corporis ea, quae per oculos AMORIS affectum excitet. \*\* In hippia maiore Tom. III. opp.

absurdissimis prolatis. illud enim dicebat esse *virginem pulchram* \* vel *auro ornatum* \*\* vel *id quod quadrat* seu cuius praesentia quidquid est pulchrum, pulchrum est \*\*\* vel *frui valetudine optima, diuitiis, honoribus abundare* \*\*\*\* vel *quod efficit cum adest, ut res pulchrae videantur* \*\*\*\*\* vel *quod utile est* \*\*\*\*\* vel *id quod delectat* \*\*\*\*\* vel *utilem et fructuosam voluptatem* \*\*\*\*\*. in quibus refutandis sophistaque illudendo cum versetur potissimum socrates: parum adfert utilitatis ad rem ipsam declarandam. etiam occasione lysianae orationis, quam a phaedro laudatam socrates in examen vocat aliquot traduntur characteres orationis pulchrae regulisque comprehenduntur, quarum observatione venustas orationi concilietur \*\*\*\*\*. omnia tamen illa, quae proferuntur accuratius excussa vix eas menti notas exhibent, quae ad pulchritudinem declarandam optimeque concipiendam sufficient.

§. VI. occasionem illud dedit CROVSAZII industriae, haec altius rimandi, qui adhibito exemplorum subsidio tandem notas pulchri constituit accuratius ex quibus haec prodiret definitio quod *pulchritudo sit varietas, quae communi quadam ratione ad uniformitatem redacta progeneret respectum ad regulam seu conformationem, ordinem atque proportionem.* \*\*\*\*\*

§. VII. sed praeterquam quod haec definitio perfectionem potius, quam pulchritudinem declaret generatim, aliquos adsumit notas, quae non tam ad essentiam constituendam sunt necessariae, quam ex eadem constituta sequuntur, adeoque in definitione omitti sine periculo possunt. qua-  
pro-

\* l. c. p. 287. f. \*\* p. 289. \*\*\* p. 290. \*\*\*\* p. 291. ff.  
\*\*\*\*\* p. 293. seqq. \*\*\*\*\* p. 295. seqq. \*\*\*\*\* p.  
297. ff. \*\*\*\*\* p. 303. f. \*\*\*\*\* in phaedro  
Tom. III. opp. \*\*\*\*\* lib. cit. cap. III.

propter ea cum presius declaranda veniant : hanc tractationis rationem tenebimus ; vt pulchritudinem generatim definiamus notisque tantum iis, quae essentiam pulchritudinis constituunt, in definitionem assumtis reliquas, quae eandem consequuntur hinc deducamus. VENVSTAS nimirum seu PVLCHRITVDO est ipsa siue vera siue adparens perfectio, quatenus a nobis percipitur \* atque PERFECTIO generatim est variorum, quae in re quapiam obseruari possunt, consensus \*\*. quapropter pulchrum id esset, in quo varia, quae ad commune aliquid, quod saepe vsus finisque obtinendi rationem subit, conspirant, percipiuntur. notae igitur, quae essentiam pulchritudinis pulchri constituunt sunt varietas, consensus seu vniformitas atque illorum perceptio.

§. VIII. DEFORMITAS et IMPERFECTIO itemque DEFORME contraria ratione concipienda atque explicanda veniunt. cetera, quae de perfectione atque pulchritudine dicta sequuntur, contrario modo facile ad imperfectionem et deformitatem adplicantur. quae omnia sigillatim tradere necessarium non videbatur.

§. IX. generatim vero hoc erit obseruandum, quod perfectiones atque imperfectiones itemque pulchritudines et deformitates non per se solum sui rationem tueantur: sed cum iis quoque omnibus eandem communicent, ad quae connexionis respectum habent actionis.

§. X. PERFECTIO habet rationem, ex qua diiudicari potest, commune scilicet illud, quo variae diuersaeque rerum notae respiciunt e, g. in horologio commune illud, quo referuntur ista varia in horologio obuia, est : rationem mensuramque temporis describere. quo si omnes horologii

\* c. wolf. elem. lat. architect. ciu. §. 9. \*\* id. metaph. §. 154.

partes tanquam ad communem vsum finemque congruunt : perfectio illius obtinetur.

§. XI. in hac communi ratione perfectionis quo plura veniunt obseruanda, quae *gradus* constituent, per quos procedere queamus : eo *maior* existit *perfectio*. \* e. g. in ea temporis descriptione, quae minuta et minora adhuc temporis momenta indicat plura possunt obseruari, quam in illa, quae horas tantum et quadrantes definit. quapropter si partes horologii ad effectum priorem producendum consentiunt : maiorem consequuntur perfectionem, quam si posterior modo sit partium congruentia.

§. XII. quot igitur adsunt *rationes*, ex quibus conuenientia illa possit diiudicari *tot* oriuntur *perfectiones* \*\* variaeque res illae saepius quam simplici vice in uno quopiam conspirantes *compositam* pro numero conuenientiae duplicatam, triplicatam, quadruplicatam et cet. producant *pulchritudinem*\*\*\*, communis autem illa ratio conuenientiae, *legis regulaeque* vim atque adpellationem obtinet\*\*\*\*. quoties illae rationes ex quibus de perfectione sententia fertur, pugnant inter se : simul in re locum habere non possunt. alteri igitur altera cum cedat hoc casu oportet : *exceptiones* regularum oriuntur\*\*\*\*\*. quo *plures* adsunt *regulae* quibuscum varia in re quopiam obuia *conspirant* : eo *maior* exoritur *perfectio* regulaeque illae ad *gradus* quoque perfectionis faciunt\*\*\*\*\*.

§. XIII. dissensus atque difformis ratio, quae in imperfecto reperitur, non tolli alia ratione potest, si quidem res ipsa adhuc manere debeat, quam per instaurationem restitutionemque consensus illius, qui cum varietate perfectionem  
pro-

\* l. c. §. 153.

\*\* l. c. §. 154.

\*\*\* l. c. b. §. 160.

\*\*\*\* l. c. §. 160. seqq.

\*\*\*\*\* l. c. §. 164.

\*\*\*\*\*

l. c. §. 164. 165.



producit. *quidquid ergo hoc casu tollit imperfectionem perfectionem ponit.*

§. XIV. *ORDO est similitudo variorum, quae in re quam deprehenduntur. \* varia autem, quae perfectum constituunt in eo sibi similia existunt, quod ad commune quoddam referantur. (§. 6.) Perfectum ergo ordinatum est, ordoque facit ad uniformitatem variorum adeoque ad perfectionem. eodem modo est comparata PROPORTIO, quae est similitudo rationum, ratio autem tunc est respectus alterius ad alterum.*

§. XV. *quod pari se ratione habeat pulchritudo omniaque illa, quae de perfectione dicta sunt, in eandem conueniant, supra iam §. 6. est indicatum. id vero speciatim est obseruandum, quod cum ea nihil aliud sit quam perfectio, quatenus a nobis percipitur: imaginaria aliquando perfectio, ubi praeiudicatis opinionibus aut perturbationum impetu abrepti videre nobis videmur consensum variorum, qui re ipsa non adest, venustatis speciem munusque gerat. \*\**

§. XVI. *sic varietas saepe sine consensu luculento animum delectat rerumque transitu sit vltima pulchritudo. atque adeo huc conuenit, quod GREGORIUS MAGNUS de creaturarum illecebris et amore, qui hinc oritur peruerso tradit: per multa, inquit, ducitur (sc. animus hominum) ut quia qualitate rerum non potest, saltem varietate satietur.*

§. XVII. *sed cum ex collatione variorum cum communi quodam, in quo conspirent, adpareat perfectio: imaginationis deceptionibus euitatis vera pulchritudo ab imaginaria distinguere potest. \*\* quae posterior cum nullum in re ipsa fundamentum habeat; sed in statu mentis humanae, cum notionum obscurarum atque confusarum imaginibus conflictantis: nec de*

i lo

\* *Conf. I. P. de CROVSANZ l. c. cap. III. §. 4. et C. WOLF. metaph. §. 132.*

\*\* *conf. C. WOLF. elem. lat. archit. ciu. §. 11.*

\*\*\* *conf. id. l. c. §. 12.*

illo eruendo atque speciatim declarando multum laborabimus. unde in perfectionibus quoque eloquentiae cur potissimum illustrandis versetur: facile hinc patebit, quae tamen perfectionis et *verae pulchritudinis rationes* afferuntur in sequentibus: easdem sibi in *pulchritudine imaginaria reperire videntur* turbulento cogitationum statu corrupti *stulti* formarum *existimatores*.

§. XVIII. perfectionis ratio est constans atque stabilis. cum autem *pulchritudo vera* nihil aliud sit quam percepta a nobis perfectio: nulli dubitare possumus, quin *suo* quoque *reali* constantique *fundamento nitatur* pulchritudo haec, nullaque sit eorum ratio, qui eam putant arbitrariam. \*

§. XIX. perfectionis perceptio est proximum illud, quod *pulchritudinis rationem menti ingenerat* (§.6.). qua impedita licet perfectio maneat causaque pulchritudinis: ipsa tamen pulchritudo actum, proxima ad existendum ratione deficiente, non consequitur. *quidquid ergo perfectionis sensum reddit impeditum et difficilem; eo ipso pulchritudini officit: quidquid autem facilitati eiusdem consulit illumque praestat viuidiorem et illustriorem; eadem opera adiuuat pulchritudinem.*

§. XX. altera disputationis vox quae declarationem postulat est eloquentia: de qua ut paucis quoque agamus oportet. est igitur ELOQVENS sensu perfectiori, qui *ideas affectionesque animi rebus rerumque circumstantiis conuenienter conceptas oratione exhaurire nouit. facultasque ea, qua quis praestare haec nouit* adpellatur ELOQVENTIA. quapropter PULCHRVM IN ELOQVENTIA cogitationum et affectionum animi orationisque perfectione atque pulchritudine obtinetur. de qua ut distinctius agamus postulat instituti ratio,

§. XXI. repraesentatio rei perfecta est quae conuenit cum  
reprae-

\* Conf. id. l. c. §. 13.

repraesentanda re. \* haec enim est illud, in quo varia in imagine deprehendenda conspirare debent. eo quoque illa repraesentatio fit perfectior, quo magis cum re deformanda conuenit: sic enim plura licet obseruare conuenientiae momenta, quam si in aliquibus, iisque paucissimis, congrueret. sed cogitationes mentis sunt repraesentationes rerum in vniuerso obuiarum aut quae fieri tantum possunt. *de cogitationum ergo perfectione et pulchritudine ex illa cum rebus conuenientia erit pronuntiandum.*

§. XXII. *ideae clarae exactius quam obscurae, distinctae accuratius quam clarae, distinctarumque vna pro ratione graduum adaequatae rationis plenius quam alia rerum affectionibus respondet. hinc perfectiores et pulchriores sunt obscuris clarae, claris distinctae distinctaeque pro ratione adaequationis maioris, aut minoris gradibus perfectionis distinguuntur.*

§. XXIII. INTELLECTVS est *mentis illa facultas cogitandi seu ideas formandi seu possibilis sibi repraesentandi: quae vno eodemque sensu nobis accipiuntur. quo igitur perfectiores hae sunt repraesentationes rerum, eo maiorem intellectus et mens secundum illam facultatem adipiscitur perfectionem. sic ergo notiones clarae, distinctae et adaequatae conciliant intellectui mentique perfectionem.*

§. XXIV. *amica omnium in mente conatuum, ad repraesentationem idearum clararum distinctarumque, conspiratio perfectionem intellectus producit (§. 6.). contra illorum disharmonia, qua impediuntur aut suspenduntur operationes, ponit imperfectionem. hinc imaginationis, memoriae, ingenii facilitas, robur iudicii PERFECTIONES; difficiles imaginationis, memoriae et ingenii operationes iudicijque debilitas IMPERFECTIONES constituunt.*

§. XXV. VOLUNTAS in latiori sensu est facultas mentis ad bonum repraesentatum inclinandi et a malo reclinandi.

B

quae

\* *conf. id. metaph. §. 822. seqq.*

quae cum hac ratione *dependeat ab intellectu*: eius quoque *affectionum perfectiones vel imperfectiones diiudicandae sunt ex praevio repraesentationum statu* perfecto aut imperfecto (conf. §. 22. 23. 24.)

§. XXVI. intellectus aut voluntatis perfectiones, ab oratore ostensae auditoribus lectoribusue, pulchritudinem illius eloquentiae conciliant: contra illarum mentis facultatum imperfectiones, perceptioni ab eodem proditae, eius adspergunt eloquentiae deformatis maculam (§. 6. 7. 19. 20.)

§. XXVII. quapropter *videndum est oratori*, qui pulchrum in eloquentia sibi propositum habet, *ut non modo, claras distinctasque rerum notas sigillatim mente sibi repraesentet*: sed eam quoque in aptissimis eligendis atque in serie cogitationum inde efficienda, circumstantiis omnibus quam accommodatissima, *sapientiam monstrat prudentiamque*, ut ex his perfectionibus ostensis in serie cogitationum *isto quoque respectu exsurgat pulchritudo* (§. 25.). quae quidem eo modo fit *duplicata* (§. 11.): altera enim ratio convenientiae est in his perfectionibus mentis quaerenda, de qua dictum; altera in adaequatione, quae cogitationibus cum toto circumstantiarum complexu intercedit. nam ubicunque series idearum rebus earumque circumstantiis adaequate respondet: ibi est convenientia repraesentationis cum repraesentanda re adeoque perfectio pulchritudinisque ratio (§. 20.)

§. XXVIII. quae adaequationis ratio indeque oriundae pulchritudinis, ut distinctius pateat, observandum, quod notae atque *connexae*, quorum ope imagines *rerum mente concipimus, sint vel principalia vel minus principalia seu accessoria*, eaque cum ratione rei ipsius tum ratione cogitantis. *ratione rei ipsius* quae sunt *principes notae*, eadem quoque dicuntur *essentiales*, quaeque *minus principales* vocantur hoc respectu, sunt *extraessentiales*: unde utraeque declaratae facillimo negotio intelliguntur. maiorem postulat considerationem distinctio *ratione cogitantis*, qua eae dicuntur *principes notae*, quae cum  
fine

sine institutoque cogitantis sic in praesentia arte sunt coniunctae, ut eodem saluo manente omitti aut separari a cogitatorum serie non queant: *accessoriae* contra, quae cum instituto cogitantis arctissimum illum et inseparabilem nexum non habent, sed per imaginationis, ingenii aut iudicii conatus vel naturales tantum vel ab artis ordine adiutos simul adiunguntur. *principales* sunt extantiores, sine quibus fere nullus est cogitationum sensus: *accessoriae* sunt obscuriores sine quibus non satis commodus, plenus et sufficiens pro instituti ratione sensus foret; earum enim ope repraesentatio instituta cum maiori varietate et plenitudine obtinetur.

§. XXIX. quae ratione posteriori adpellantur accessoriae rerum notae ab oratore sunt imprimis observatae in usum conuertendae. quod ut fieri queat distinctius, tenendum, ideas minus principales accedere ad principes, per respectum aliquem, vel ex statu mentis cogitantis vel ex rebus aliis a cogitante disiunctis: illas doctrinae gratia *domesticas*, has dicemus *extraneas*. ut res exemplo fiat clarior: fac principalium cogitationum seriem, *homo est mortalis*. si iam idea se adiungat extranea v. g. per respectum similitudinis, *floris et rosae corruptibilitas*; aut domestica v. g. *doloris*, quem is, qui hanc hominum fragilitatem animo subiiceret, vi naturalium mentis conatuum a repraesentato malo ad aegritudinem inclinantium, non posset non sentire: tum cogitationum haec fere esset series; *homo est rosa, quae brevi tempore deflorescit et o miseram hominis conditionem, qui in ipso fere ortu interitum inuenit!*

§. XXX. *domesticae* ideae ad mentem hominis se referunt ex eiusque statu *adiunguntur per eum respectum topicum*, qui a VINC. PLACCIO \* locus dicitur *relationis ad hominem*. illae sunt autem vel *perfectiones* vel *imperfectiones* vel *affectiones*

\* in promptuario inuentionis oratoriae emblematicae.

*nes qualescunque facultatum, conatum atque operationum intellectus aut voluntatis, quae principi dicendorum materiae ex intentione loquentis et cogitantis accedere ac vna significari debent. quarum quantus sit numerus ei facile adparebit, qui mentis volubilem rationem et formas, quas subire potest, innumerabiles cogitare velit: quantusque illorum sit usus, is perspiciet, qui rerum repraesentationem fere nullam fieri perpenderit, in qua molimina mentis animique impetus non se exerant.*

§. XXXI. *ideae extraneae annectuntur principali per alios respectus topicos, quorum subsidio connexa rei quam plurima possunt euolui atque in imaginationem reuocari. nulla quidem res existere videtur, quae non quamcunque aliam certo modo respiciat atque sic communi quadam ratione cum eadem colligari queat. sic vna cogitationum primaria assumpta serie, per respectum aliquem ad rem huius vniuersi, quamcunque velimus, a via recta illa quasi decinare atque eam, cum principe cogitatione comparatam, eidem cogitandorum nexui inferere possumus.*

§. XXXII. *utrarumque ope varias rebus, pro institutione et circumstantiarum, formas introducere orator semperque alia atque alia facie res sibi repraesentare potest. sed illa connexorum multitudo per se nullam habet perfectionem aut pulchritudinem: illa ergo varietas summa per communem finis respectum ad uniformitatem est redigenda (§. 6.). illae nimirum ab oratore concipiendae sunt cogitationes atque affectiones animi, quae ad trutinam instituti ipsius et circumstantiarum examinatae sint quam commodissimae eoque respectu adaequatae. sic enim obtinetur consensus in varietate accurataque instituti deformatio: quo ipso cogitationum atque affectionum animi adparet perfectio atque pulchritudo (§. 6. 2.)*

§. XXXIII. *hanc autem animo instituere imaginem dicendo;*

*cendorum maximi laboris est atque ingenii opus.* hic instructissimus disciplinarum adparatus et egregiae mentis perlectiones, imprimisque prudentiae subsidia requiruntur. quapropter in eo genere facillimus est erroribus peccatisque locus. illi etiam, qui arte maxime oratoria nitebantur olim, censuram hac in parte suo merito subierunt. quemadmodum in exquisito verborum *ornatu lysianae orationis hanc cogitationum pulchritudinem iure SOCRATES desiderabat.* dum sententiarum et pondus et collocationem commodam abesse ibidem atque hanc imperfectionem in ea sonorum pompa cognoscendam fugiendamque monet phaedrum suum.\*

§. XXXIV. haec hoc loco de cogitationum affectionumque animi pulchritudine eiusque rationibus dicta sunt: ad alteram nunc eius partem venustatis, quae in eloquentia locum potest obtinere accedemus. est illa in sermone signisque cogitationum: tque ut perspiciatur, *loquela* seu SERMO erit distincte explicandus. is *generatim* est *series signorum, quae vocant sensibilia, quorumcunque ad significandas cogitationes accommodatorum*

§. XXXV. signum vero illud cum sit res quaecunque seu idea rei, concepta ut notior altera, quae dicitur signata, quam vel comitatur vel antecedit vel sequitur: hinc adparet, res omnes, quae ope sensuum queunt percipi, signorum rationem in sermone hominum sustinere posse. tam igitur sunt varia, ut *sermonis genera fere infinita* ex iisdem componere queamus. quod non tantum polygraphiarum auctores generatim docent: sed alii quoque speciatim libellis declararunt singularibus.

§. XXXVI. quoniam vero *signorum* alia conflictantur maximis cum difficultatibus, alia laborant minus, unde *aliis*

B 3

*alia*

\* in phaedro T. III. opp.

*alia sunt commodiora* : hic quoque spectandi veniunt potissimum *soni* atque *ductus* seu *characteres*, quibus ut plurimum homines ad sensa animi exprimenda utuntur ob commoditatem. loquelam hinc formatam ORATIONEM speciatim appellare possumus, per quam hoc sensu intelligimus *seriem sonorum articulis membrisque ope organorum loquellae distinctorum atque ad cogitationes significandas adhibitorum*, quibus subordinata series ductuum, in extenso aliquo deformatorum, eandem accipit et adpellationem et rationem.

§. XXXVII. cum igitur hoc modo nihil aliud sit oratio, quam cogitationum repraesentatio per sonos ductusque his respondentis : *de illius quoque perfectione atque pulchritudine ex huius repraesentationis congruentia cum cogitationibus et affectionibus animi erit iudicandum* (conf. §. 21.)

§. XXXVIII. ea scilicet oratio, quae cogitationum principalia atque accessoria (§. 28. ff.) exhaurit, adaequate cogitationes repraesentat et affectiones animi, adeoque perfecta et pulchra est (§. 37.)

§. XXXIX. quae orationis forma ut commode obtineatur ipsa erit materia sermonis consideranda accuratius. quo instituto eadem hic fieri potest distinctio, quae in cogitationum repraesentatione fuit adhibita. (§. 27. ff.) in vocabulis nimirum illorumque serie reperitur *primo* princeps illa significatio, qua deficiente nulla nunc esset ratio cur adhiberentur : *deinde* aliqua accedunt ad illam significationem principem, quae non adeo necessariam habent, cum ratione illa, cur iam adpareant vocabula, connexionem. *ILLAE reales* seu *principes* vocari possunt *vocabulorum* et orationis *ideae* significatae : *HAE vero accidentales* seu *minus principales* et *accessoriae*. illae primario vi primaeuae institutionis intenduntur *in* oratione, hae minus. ut res ab exemplis declaratio-

nem



nem accipiat: notentur sequentia SENECAE \* verba, RAPITE ex liberis voluptates, has significant ideas reales percipite voluptatem ex liberis, accidentales vero quod raptim et cito illud fieri debeat. sic idem \*\* sequentia de mente habet: non est ex terreno et graui concreta corpore, ex illo coelesti spiritu DESCENDIT. vbi verbum in fine positum prouenire mentes hominum ex spiritu coelesti indicat per significationis ideam principalem: quod vero ex superno loco fiat, id quidem exprimit idea accessoria.

§ XL. PLURIMA sunt idearum accessoriarum genera, quorum aliqua per lancem saturam enumerabo. datur videlicet idea accessoria ambiguitatis, familiaritatis, contemptus, extenuationis, ioci, amoris, odii, irae aliorumque. exempla earum hinc inde occurrunt v. g. AMBIGVITATIS ideam adiungunt oracula ethnicorum quamplurima, vt aio te aeacida romanos vincere posse: FAMILIARITATIS, ad plures abiit, ab ouo vsque ad mala: CONTEMPTVS, stratiotes, ampullae et sesquipedalia verba, ampullari, inuenit non quod pueri in faba, stentorea voce clamare: PARVAE DE SE EXISTIMATIONIS, ingeniolum, quidquid est pulchritudinis: IOCI decem pondo amoris, vna pensilis de suspenso, mulsa dicta, tam facile quam vulpes pium comest, versutior es quam rota figularis. plura addere supersedeo, cum a celeb. ANDR. RIDIGERO illustrata sint prolixius \*\*\*.

§. XLI. pleraque eorum, quae per idearum accessoriarum significationem adaequatam faciunt orationem, atque huic adeo repraesentationi cogitationum conciliant pulchritudinem, obseruatione constant atque exactissima linguarum peritia: inue-

\* consol. ad Marc. c. 10.    \*\* consol. ad Helu. c. 6.

\*\*\* de iudiciosa versione, quod tamen schediasma, manuscriptum modo mihi videre contigit.

inueniuntur tamen *loquendi quoque modi*, linguarum usu confirmati, qui *communem* quandam *rationem* notitiamque *recipiunt*, atque idearum accessoriarum multas commode breuiterque principalibus adiungendas iuuant; qui *tropi* vocantur atque *figurae*.

§. XLII. TROPI ad id *accommodati* sunt, ut *res una cum connexis quibusdam idearum extranearum* (§. 28. 31.) *una voce indicetur*: res quidem ipsa primario atque connexa secundario, si prima respiciatur institutio vocum; si usum praesentem finemque loquentis intueamur res ipsa secundario connexa rei primario significantur. *eorum usus atque vis perspecta paratissimum suppeditabit artificium multum orationi adaequatae rationis eoque perfectionem et pulchritudinem per ideas eius generis accessorias conciliandi.*

§. XLIII. *ideae extraneae accedunt ad principales per respectum topicum* (§. 31.): quapropter *genera troporum pro locorum topicorum numero distinguimur multiplicarique possent*. sed cum placuerit aliis una denominatione aliquot respectuum genera comprehendere: in eo quidem nos faciles praebere possumus, dummodo res ipsa teneatur atque per illas denominationes genera exhauriantur. quod quidem fit, cum *quinque potissimum summis capitibus*, METONYMIA scilicet, SYNECDOCHE, METAPHORA, LIPTOTE et IRONIA *totam hanc doctrinam complectuntur*. sub *metonymiam* vero causarum atque effectuum respectus non modo subiiciuntur omnes: sed adiuncti quoque atque subiecti locus huc venit referendus. *synecdoche* locum totius et partis, generis atque speciei, *metaphora* locum comparatorum, *liptote* atque *ironia* oppositorum respectus, illa in seriis, haec in non seriis comprehendunt. *his*, verba sunt cel. AUG. FRID. MULLERI, *adiunxerunt, quando loco verorum conceptuum, qui omnes vel maiores vel minores oratori videntur cogitatione sua, assumitur aliquis, qui vel au-*  
gendo

gendo vel minuendo veritatem excedit, metu nimirum, ne vel plus dicat, vel minus ac vult, quae hyperbole adpellatur\*. quam tamen vna cum catachresi et allegoria pro affectione troporum communi magis, quam distincto eorum genere habendam rectius cenfet CVNR. DIETERICVS\*\*; quamquam multum ex natura figurarum, quae imaginationis vim produnt trahere mihi hyperbole videatur. reliqua de tropis explicanda apud alios videantur: nos vera illorum ratione vsuque ostenso prolixior tractationem in aliud tempus dilatam volumus. hoc tamen vnum videtur addendum, quod citatus cel. MVLLERVS\*\*\* et DIETERICVS\*\*\*\* adaequatam rationem huius troporum numeri dare nobis probatam laborauerint.

§. XLIV. FIGVRAE ideis principalibus adiungunt domesticas, quae quum pro innumeris cogitationum animique affectionum formis in maxima versentur varietate: (§. 30.) maxima hinc elucet figurarum multitudo. quas tamen suo ordine per capita communia describere nostri iam non est instituti: aliquas declarationis gratia ad sua redactas principia eo, quo se nobis offerunt ordine, huc transferemus.

§. XLV. sic v. g. viuidam SENTIENDI IMAGINANDIQVE vim auditoribus ostendunt, auxesis, parembole, synathroismus, synonymia, incrementum, descriptiones rerum viuidae, quo referuntur characterismus, chronographia, profopographia, hypotyposis, epitrochasmus, diatyposis, profopopoeia. et cet. IVDICII vim exhibent definitio, expolitio, epexegetis, ἐπιτροχασμός itemque distributio, μεγισμός, paradiastole et cet. INGENII facilitatem monstrant, ratione comparatorum, assimilatio, comparatio, icon, hypexaeresis, sysceuasus, syllepsis, syncrisis, epagoge,

\* in dissert. de arte dicendi §. 42.      \*\* instit. rhet. p. 7. 9. ff.  
 \*\*\* §. cit. loc. §. 42. ubi quoque §. 43. quaedam de vsu troporum addit utilissima.      \*\*\*\* l. c. p. 19.

*pagoge, homoeon, allusiones* quaecunque: ratione oppositorum, *oxymoron, confusio, antistasis, streptolyton, crama, electio, antitheton, remotio, hypobole, antimetabole, metatbesis, plecton* et cet. facultatum ac virtutum quoque mentis practicarum significationem docent figurae quaedam e. g. **PRUDENTIAM** manifestant meditationes practicae rarioribus fultae, quo pertinent *sententiae, noemata, apophonymata, epiphonemata*: itemque *simulationum modi* varii, quo pertinent *aposiopesis, praeteritio, antiphrasis, paralepsis, parasiopeisis, tapinosus, apodioxis, periphrasis*; item *sermocinatio, prosopopoeia, communicatio, anacoenosis, reticentia, permissio, προσομή, apostrophe, digressio, apoplanesis, prodiorthosis, epidiorthosis, amphidiorthosis*. **PERTURBATIONES ANIMI** prodit generatim omnes vehementiores *exclamatio*; et mentem e sede motam aliquando *aposiopesis* et *apostrophe* ad inanimata; **POENITENTIAM** *epanorthosis*; **SECVRITATEM** *parrhesia, epitrophe, hypostasis, συναχόρησις, περιόρησις, cleticon*; **DESIDERIVM** *obtestatio, obsecratio, precatio*; **TIMOREM** figura *φοβος* dicta; **IRAM** *indignatio, comminatio, epiplexis*; **CONTEMPTVM** *diasyrmus, exuthenismus, mycterismus*; **IRRESOLVTIONEM** et haesitantem animum, *addubitatio, aporia, diffidentia* et cet.

§. XLVI. *figuras quidem ad voluntatem animique perturbationes pertinere tantum existimat* AVG. FRID. MVLLE-  
RVS \* troposque ad intellectum: sed quo id iure fiat nondum perspicio. tametsi enim tropos intellectus ostendere facultates posse non negem: id tamen neque soli faciunt neque ratione expressiori. relinquitur ergo maxima adhuc idearum ex parte intellectus accessoriarum multitudo, aliis praeter tropos loquendi modis exprimi solitarum. quos cum aliis figurarum numero placuerit comprehendere: quid opus est nouatione?

§. XLVII.

\* l. c. S. 45.

§. XLVII. id vero animadvertit rectissime, quod *figurarum verbalium pleraeque in affectibus tantum voluptuosis ad excitandas ideas accessorias delectationis adhibeantur: \* quod que numerus figurarum vulgo traditus non sit statim pro adaequato habendus; quoniam infinitus idearum, quas vocamus domesticas, numerus diuersaeque linguarum indoles constantem stabilemque doctrinam vix recipere queat. \*\* illud quoque addendum, quod ratio tota vsusque figurarum ex illa idearum domesticarum significatione, principalibus adiuncta, sit diiudicandus. eaque propter nominibus troporum figurarumque inprimis, memoria non oneranda videatur.*

§. XLVIII. figurarum quoque nomen tam lata accipitur significatione ab EMAN. THESAURO vt omnes orationis formas, quae a simplici, directo atque stilo quotidiano recedunt, sub hac adpellatione comprehendantur. *sicuti enim, inquit ille \*\*\*, omnia ornamenta, quae nauium, murorum, vasorum soliditatem eleganter variant graece vocantur σχήματα, latine figurae: sic omne id quod ad taedium auditoris leuandum verba, sententias aut enthymemata a nudo, simplici et quotidiano stilo distinguit schema rhetoricum et figura dicitur. hinc definit eam \*\*\*\* per morem quendam peregrinum, qui stilum vulgarem et quotidianum orationis immutat, vt doctrinam cum nouitate coniunctam afferat atque auditor eodem tempore gaudente discat et discendo gaudeat. quo respectu refert huc figuras harmonicas atque in earum numero periodum, inprimis concinnitates, numerum, euphoniā et alia, quae vocibus puritatem conciliant sequentiumque materia erunt paragraphorum. deinde patheticas adpellat figuras \*\*\*\*\* quibus animi concitentur tam ratione intellectus quam voluntatis \*\*\*\*\* primus quantum scio vera illarum origine clarius indicata, confusione atque aucto- deica antecessorum detecta ad vltiora viam aperit \*\*\*\*\*.* ceterum

\* l. c. §. 50. \*\* l. c. §. 49. \*\*\* l. c. cap. IV. p. 121. f. \*\*\*\* l. c. p. 123. \*\*\*\*\* l. c. p. 210. \*\*\*\*\* l. c. p. 215. \*\*\*\*\* l. proxime cist. collect. pagg. seqq.

rum quemadmodum per nos hunc latisimum figurarum significatum assumere cuiusque placet, licebit: ita nobis quoque liberum erit strictiorem earundem notionem cum aliis supposuisse.

§. XLIX. significationes vero seu *ideas vocum accessorias* eas, quas fusiori haftenus tractatione declarauimus, *nouisse modo non sufficit*: sed in id erit nunc animus intendendus, vt suo loco *ad cogitationum ideas accessorias* vna cum principalibus accurate *exprimendas adhibeantur*. sic enim exactam cogitationum significationem eoque venustatem iuant atque tum haec loquendi genera hoc modo luminata sunt, quae orationem illustrant, imaginemque hanc cogitationum perficiunt: vnde exurgit perfectio orationis et pulchritudo (§. 37. 38.)

§. L. *haec tamen explicatae complexum idearum accessoriarum omnem non exhauriunt*. aliae enim dantur praeterea formae, quae eodem principe sensu manente distinguere varietate possunt orationem eaque propter ad accidentalibus seu accessoria illius referri. quae rite adeo posita ad exhauriendas cogitationes, viuidiorem minimum reddendam earum repraesentationem faciunt. quo quidem perfectio atque pulchritudo orationis promouetur (§. 37. 38. 19.)

§. LI. sic *conuenientia sonorum cum rebus significatis* se nobis in oratione adhuc offert, quae multum adiuuare potest repraesentationem cogitationum viuidius delineandam: sic formae dantur quoque, intelligentiae attentionique interuenientes; quo ipso pulchritudinem promouent, dum sensum perfectionis faciliorem reddunt (§. 19.). huc pertinent *perspicuitas, puritas, suspensio sensus, concinnitates* strictae sic dictae, *relationes vocum ad se inuicem*, inprimis *proportionatae, inopinatum, emphasis, ellipsis, variatio, periodica structura, euphonia, numerus*. quorum omnium rationes pulchritudinis et delectationis, ex ante positis fundamentis declarare in sequenti tractatione laborabimus.

## COROLLARIA.

- 1.) hypothesis quatuor monarchiarum ad describenda atque coniungenda historiae vniuersalis capita est vtilissima: contra illius vero probationem ex danielis liberis  $\theta\iota\sigma\tau\alpha\upsilon\sigma\tau\alpha$  gravissima iohannes bodinus, iac. capellus, ioh. christoph. becmannus, hermannus hardtius cum assensibus dubia mouerunt
- 2.) nimrodum corporis proceritate ceteris antecelluisse hominibus fabula videtur, orta ex interpretatione LXX, qui gen. X. 8.  $\text{גִּבּוֹר}$  reddiderunt per  $\gamma\iota\gamma\alpha\varsigma$  et vers. 9.  $\text{צִיִּר גִּבּוֹר}$  per  $\gamma\iota\gamma\alpha\varsigma \kappa\upsilon\upsilon\eta\gamma\omicron\varsigma$ .
- 3.) andr. ridigeri syllogismus quatuor terminorum recte quidem in forma se habet: non vero tam pro syllogismo, quam pro syllogismis duobus compendiose et arte quadam in vnam connexionem redactis est habendus
- 4.) nulli vnquam logico accurato sanoque in mentem venit negare, quod ex conclusionum falsitate apertissime detecta, principiorum falsitas posset deduci.
- 5.) casp. neumanni hypothesis, hebraeorum litteris nimium tribuit communes et generales significationes symbolicas. quae cum fere cuiuslibet rei adplicari queant: non est mirandum, si in rebus per voces hebraicas significatis, notiones litterarum significantium ostendi queant. vnde nulla hypothese huic probabilitas accedit ex conuenientia affectionum rei significatae cum posita litterarum significatione; quoniam haec conuenientia est nimis generalis et ambiguae adplicationis; vt, permutata quoque inter se litterarum significatione illa symbolica, obtinere possit.
- 6.) physica generatim spectata demonstrationes habet
- 7.) chemia ad amplificandam physicam experimentalem multum facit.
- 8.) telio-metria et callometria seu scientia gradus perfectionis et pulchritudinis metiendi est possibilis: cum characteristica tamen generali, qua multum lucis eidem affunderetur, in desideratis numeratur.
- 9.) methodus mathematica non ducit ad atheismum; sed quemadmodum alias, ita quoque in demonstratione existentiae Dei primas tenet. spinozae modus dogmata sua pestilentissima proponendi ne nomen quidem methodi mathematicae meretur.
- 10.) testamenta sunt iuris naturalis.
- 11.) ratio in orthographia cellariana, de descriptione  $\tau\theta\upsilon$  ab initio vocis, tradita, pro nulla erit habenda: quoniam connexionis ratio quae offertur. in latere dextro  $\tau\theta\upsilon$  manet etiam ab initio vocum; adeoque illius vi esset in principio, et medio vocum  $\upsilon$  scribendum; in fine autem stringeret illa potius: eum enim nullae sequerentur litterae in eadem voce; nullo quoque vnco opus esset in dextro latere  $\tau\theta\upsilon$ , qui coniungeret litteram hanc cum sequenti h. m. u. c. g. in ur.

Gottlieb Stollius Polit. P. P. O.

*Ornatissimo jucundissimoque Severo*

*S. P. D.*

**R**ecte omnino sibi consulunt, qui cum eo, cui se praecipue manciparunt studio, humanitatis litteras etiam in Academia conjungunt diligenter, philosophiam omnem, rationalem speciatim, ac morum, cognoscendam ducunt, non negligunt aut philosophiae aut litterariam sacramque historiam, atque imprimis, quibus nitatur fundamentis Christianorum hominum religio, curatius student intelligere. Bene faciunt, inquam, qui isthaec faciunt. Omnium tamen maxime laudantur jure, qui ejusmodi praecipua ita habent percepta, ut iis mature ad vitam agendam utantur. Nihil est horum, quod Tu non pulcherrime adhuc praestiteris, severe optime! de diligentia enim in litteris tua, deque moribus plane suavissimis bona fide mihi testari posse videor, utpote cujus doctrinas omnis generis hausisti cupide, cujus domicilio tranquille uteris, tuaque vita atque consuetudine neminem non TIBI devincis. Paucis, ut vides, TE laudo: nam si praedicarem pluribus; ne modestia tua singularis offendatur, vereor. superest, ut pulcherrimum TIBI specimen ex animo gratuler, quod dum ago, a divino numine precor religiosissime, ut prolixissimo favore suo TIBI studiisque tuis porro praesto fit elementer, faciatque, ut intelligatur olim ab omnibus, quam pulchra sint, quae tua opera ad egregium publicum possint adferri. vale. scrib. in Acad. Jen. d. 5. Jan. an. 1724.

*Guilielmo Leuino Severo S. P. D. Praeses*

**E**LOQVENTIAE pulchritudinem ac venustatem, quam in hac dissertatione propugnandam suscipis, in moribus non promittis solum, sed plane repraesentas, non ab legum coactione sed a domesticae virtutis stimulo. eam quoque in studiis elegantiam sequeris, ut bonis omnibus animi ardorem diligentiamque tuam probes cumulatisime. hinc qui te propius intuentur his adplaudunt conatibus honestissimis mecumque precantur, ut numen supremum gratia TIBI tuisque studiis in posterum adsit patronosque excitet qui debitum virtuti doctrinaeque tuae praemium largiantur. vale.

*Lit. Lat. roc. B. 61, 4.*